

Lotharius, divina ordinante providentia imperator augustus. Dignum est ut celsitudo imperialis quantum ceteros honoris et potestatis fastigio antecellit, tantum erga omnes pietatis sue munus impendere satagat. Igitur omnium fidelium sancte Dei ecclesie presentium et futurorum comperiat magnitudo, quia Petrus, dux ac spatarius Veneticorum, per Heverardum, fidelem comitem nostrum, ac per missum suum, Patritium nomine, nostram deprecatus est maiestatem, ut ex rebus sui ducatus, que infra dictionem imperii nostri consistere noscuntur, confirmationis nostre preceptum fieri juberemus, per quod ipse ac patriarcha, pontifices, et populus illi subiectus sibi debitas res absque cuiusquam contrarietate seu refragatione retinere quivissent, quemadmodum temporibus avi nostri Karoli per decretum cum Grecis sancitum possiderunt. Cuius petitionem, ut nobis celestis suffragatio copiosior adsit, libenter adquiescentes, hos excellentie nostre apices decrevimus fieri, per quos statuentes decrevimus, ut nullus in territoriis, locis peculiaribus, aut ecclesiis, domibus seu rebus et reliquis possessionibus presignati ducatus, que infra potestatem imperii nostri site esse noscuntur, umquam ingerere presumat inquietudinem, diminorationem seu calumniosam contraditionem, aut subtractionem nephandam, sed liceat eas prefato duci, patriarchae, episcopis, populo sibi subiecto seu successoribus eorum ac heredibus quiete absque cuiusquam insultantis machinatione aut sinistram cuiuspian molientis tergiversatione jure gubernare et, gubernando, prout liquidius in predesignato decreto continetur, legaliter possidere. Et ut hec nostra confirmationis atque corroborationis auctoritas fidelibus sancte Dei ecclesie et nostris verius credatur, et nostris successoribus per tempora habentia omni munimine stabiliatur, manu propria fideliter eam firmavimus et annuli nostri impressione signari iussimus.

+ Signum serenissimi Klotarii Augusti.

Erambaldus notarius

Datum kal. septemb, anno, Christo propicio, imperii